Freitagii Adami: 1, Gratiarum actio ad Joan. Broscium Curclovienses pro Geometria Petri Rami dono missa.

2, Antamoebe amoris philosophici ad Joan. Broscium scripta.

GRATIARUM ACTIO

Ad

Clarißimum & Excellentißimum Doctißimumq; Virum,

D N.

M. JOHANNEM BROSCIUM CURZELOVIENSEM,

In Inclyta Academia Cracovienſi Mathematum publicum Profeſſorem.

pro

GEOMETRIA PETRI RAMI *dono mißa* ADAMO FREITAGIO, *Thorun. Juniori, obſervantiæ ergo*

ſcripta ab eodem.

J ucundum eſt munus, quo me Vir clare beaſti
 B ROSCI, quod ſuperat ſortis inanis opes:
O mnes gemmæ, aurum, vel ſi precioſior auro,
 R es ulla eſt, pereunt in nihilumq; cadunt.
H umanos animos ſed quæ præcepta repurgant,
 O mnimodaq; illos cognitione beant,
A uro ſunt potiora, DEI ſunt inclyta dona,
 S upremumq; gradum proſperitatis habent.
N amq; hæc ſola DEI nobis ſecreta recludunt,
 C œleſtes pandunt æthereaſq; domos.
N on ergo immeritò grates tibi ſolvo, quòd inter
 I nnumeras curas curam agis ipſe mei.
E t quòd miſiſti, quæ PETRUS RAMUS in unum
 U ndiq; congeſsit ſcripta GEOMETRICA.
S cilicet ut rimer, quæcunq; Copernicus olim
 S ubtili ingenio ſcripta polita dedit.

VIVe DIV BrosCI, te Vt ſVbVEhat aLta ſVb aſtra DeXtera, qVa nVtV CVnCta Creata CIet.

THORUNII.

Exſcripſit Typis Auguſtinus Ferberus.

ANTAMOEBE AMORIS PHILOSOPHICI
ad Clariß. doctiß. q; Virum
DN. M. JOANNEM BROSCIUM
CURZELOVIENSEM
Almæ Academiæ CRACOVIEN. Professorem Mathemat. Ordinar.

Scripta à
M. ADAMO FREITAGIO THORUN. Gymn. patr. Collega,
& strenæ loco oblata.

Anno Periodi Julianæ vel Josepho-Scaligerianæ 6332. vel Anno Juliano 1664. Calend. Januariis stylo Liliano.

1619. Stylo Gregor

IOANNES BROSCI divinam edocte Mathesin,
Aonii pariter stella venusta chori:
Eloquii grato cuius de pectore manant
Flumina, & in cujus Suada sita ore nitet:
Qui LOGICES sanum novisti providus usum,
Qualem descripsit magnus Aristoteles:
Is Logicam Exemplis (procul hinc, procul este Sophistæ)
Distinxit Placitis atq; Mathematicis.
Namq; Mathesis habet certissima scita: Mathesin
Ars demonstrando vincere nulla potest.
Hinc PLATO divinus nullos admisit inertes
Discipulos; sed queîs nota Mathesis erat.
Inscripsit foribus: Nullus mihi transeat isthâc,
Qui cultus non est arte Mathematicâ.
Dîa Mathesis habet veræ præconia laudis:
Hæc animos fingit, nec sinit esse rudes.
Tu nosti obscuras NATURÆ pandere caussas:
Et MORUM priscâ Tu gravitate places.
Te rogo, ne pauca hæc Magno Tibi scripta repellas
A me, qui rimor scita Mathematica.
Plura abs te noster tulit antè COPERNICUS ille
NICOLEOS, cujus Scripta polita probas:
Quem TELLUS mirata fuit, cum proderet ejus
Is triplicem Motum, sicq; locuta fuit:
Informem informas me grate COPERNICE: censu
Meq; locas, in quo sunt ELEMENTA alia.
IGNIS namq;, AER, & quæ fluit UNDA, moventur;
Natura & certis legibus illa ciet.
Me ciet hæc eadem: Triplicis sum conscia motus:
Hoc Doctis facile est credere: non Populo.
Nam Doctis Ratio dux est: Sensusq; Popello:
Hic fallax Populum fallere sæpe solet.
Ast Ratio quæ sana docet, firmatq; probando,
Crassicies Sensus diluere illa nequit.
Hæc ego pauca Tibi, quia nulla COPERNICUS absens
Reddere quit, reddo: Tu bonus ista cape.
Et quia jam novus annus adest: Tibi prosper ab ortu
Ille fluat primo, terminum ad usq; suum.
Siq; mali nobis aliquid nova stella minatur
Caudata: id clemens differat omne DEUS.
Tecum salva precor docta ut CRACOVIA crescat:
Artibus & CHRISTO sub duce tuta vacet.

